ICONES
Seu
VERÆ ET VIVÆ RE-PRÆSENTATIONES OMNIVM PRÆCIPVARVM RERVM, DE QVIBVS IN HOC

libro pertractatum eſt, virorum nempe & mulierum cum veſtimentis, armis & ornatu ipſorum, Mercatuum item & ſuperſtitionum, Bellorum, Iudiciorum, Ædificiorum, Piſcationum, Cōmerciorum, & rerum huiuſmodi aliarum: Ceremoniarum item creandi Nobiles & ſepeliendi defunctos: Variorum præterea animalium, arborum & fructuum ex terra naſcentium, &c. quæ omnia in aurifero Guineæ littore inueniuntur & cernuntur.

ELEGANTISSIME IN ÆS INCISÆ, & legentium oculis expoſitæ.

Studio & opera

IOHANNIS THEODORI, ET IOHANNIS ISRAELIS de Bry, fratrum germanorum.

FRANCOFORTI.
Ex Officina Typographica Wolffgangi Richteri, Sumptibus Fratrum prædictorum.
M. DCIII.

XIII.
REPRÆSENTATIO BESTIARVM FERARVM OMNIS GENERIS, QVALES IN Guinea reperiuntur.

IN hac Figura omnis generis feras beſtias expreſſimus, quæ & inter ſe ipſas diſcordes, & hominibus nocentes ſunt atque pernicioſæ. A. Elephas eſt inimicitiam cum Rhinocerote habens. B. *Tigris eſt fera crudeliſſima, & hominibus præ cæteris infenſa.* C. *Pardalis ſeu Leopardus.* D. *Crocodilus in terra & aquis viuere valens.* H. *Rhinoceros eſt animal vnius in nare cornu; hoſtis Elephantis infenſiſſimus.* I. *Rana eſt eiuſdem cum noſtris formæ.* K. *Vulpeculam denotat.* L. *Formicam, quæ ibi ingentes & copioſæ reperiuntur, multumq́ hominibus pernicioſæ exiſtunt.* M. *Lacertus eſt hoſtis infenſiſſimus ſerpentum.* N. *Serpens eſt, quales ibi ingentis magnitudinis reperiuntur.* O. *Araneus eſt noſtris multo maior.* P. *Grues notat.*